
DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PERIPNEUMONIA NOTHA.

DISPUTATIO MEDICA
INAUGURALIS

DE

PERIPNEUMONIA NOTHA;

QUAM,

ANNUENTE SUMMO NUMINE,

Ex Auctoritate Reverendi admodum Viri,

D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIAE EDINBURGENAE PRAEFECTI;

NEC NON

Amplissimi SENATUS ACADEMICI Consensu, et
Nobilissimæ FACULTATIS MEDICÆ Decreto;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS
RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

Eruditorum examini subjicit

RICHARDSIUS BROWN,

ANGLUS:

SOCIET. MED. EDIN. SOC. EXTR.

NEC NON

SOCIET. NAT. STUD. EDIN. SOC. EXTR.

ET

NUPER PRÆSES ANNUUS.

“ ————— *Tussis anabela fatigat;*
“ *Continuos gemitus agra senectus habet.*”
CORNEL. GALL. *Eleg.*

Ad diem 24. Junii, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ADAMUS NEILL CUM SOGIIS.

DANIELI RUTHERFORD, M. D.

MEDICINÆ ET BOTANICES
IN ACADEMIA EDINBURGENA

PROFESSORI,

ET

REGIÆ MEDICORUM SOCIETATIS
SOCIO;

VIRO ERUDITO, COMI, PROBO,
MEDICO PERITISSIMO
PROSPERRIMOQUE;

CUJUS

ET CONSILIO ET AMICITIA
ET BENIGNO HOSPITIO,
DUM EDINBURGI
MEDICINÆ STUDIO
INSERVIEBAT,
NUNQUAM NON
USUS EST;

HANC DISPUTATIONEM,
ANIMI BENEFICIORUM
INOBLITI SIGNUM,
SUMMA OBSERVANTIA,
D. D. CQUE

RICHARDSIUS BROWN.

DANIELL RUTHERFORD, M. D.

MEDICINÆ ET BOTANICÆ
IN ACADEMIA EDINBURGENSI
PROFESSORI

ET

REGIÆ MEDICORUM SOCIETATIS
SOCIO

VIRI ERUDITI, COM. P. R. O. B. O.

MEDICIS VERISSIMO
PROSPERISSIMOQUE

CULTE

ET CONSILIO ET AMICITIA
ET BENIGNO HOSPITIO

DEI EDINBURGENSIS
MEDIORUM STUDIO

INSERVIENTI
RITUMQUE NON

USQUE EST

IN ME DICTA UTATIONE

ANIMI BENEFICIORUM

IN OMNIBUS REBUS

SEMPER PERSISTENTIA

ET C. C. C. C.

RICHARDSON & BROWN

DISPUTATIO MEDICA

INAUGURALIS

DE

PERIPNEUMONIA NOTHA.

PRÆFANDA QUÆDAM.

§ I. **C**UM omnes, qui sese student legitime solenniterque consequi summos medicinæ honores, de re medica aliquid scribere deceat, quod in apertum proferant, et eruditorum examini subjiciant; nulla res dignior nobis videtur, de qua disputemus,

A

quàm

quàm morbus periculi plenus, cui, apud medicos, nomini *Peripneumonia Notha* est.

II. Ad hunc morbum parùm, pro magnitudine, et periculo quod habet, animos olim advertisse videntur medici. Omnium primus, quantum novimus, SYDENHAMUS eum luculenter descripsit; neque nati post hunc medici iis, quæ de eo scriptis tradidit, multa adjecerunt.

III. *Peripneumonia Notha*, ineunte hieme, plerumque incipit; sed haud rarò etiam novo vere, ubi vicissitudines caloris et frigoris hominum corpora in morbos maximè trahunt. Quocunque tempore invadat, nunquam vulgò grassatur; verùm frequentior tamen est iis temporibus, quibus pestiferè vulgatur *Catarrhus*.

IV. Oppor-

IV. Opportunissimi huic morbo sunt feniores pituitosi ; imprimis ii, qui Baccho dediti sunt, et qui frequentibus pridem doloribus laterum et distillationibus laborârunt.

DEFINITIO.

V. Hujus morbi definitionem, quam prætermisit CULLENUS, eâ qua par est diffidentia, hîc subjungimus :

Peripneumonia Notha pulsu molli, parùm citato, ut plurimùm exili ; dolore thoracis obtūso, gravante ; tussi vix non perpetuâ, cum expectoratione difficillimâ, dyspnœâ, et summiâ anxietate ; tandem, livore faciei et extremorum, cum signis apoplexiæ *suffocatae*.

S I G N A.

VI. *Peripneumonia Notha* haud rarò inopianti feni leniter adeo et fenfim óbrepit, ut, quantus hoftis infidiofè invaferit et in occulto lateat, prorfùs nefciat ; neque priùs fufpiceretur, quid fibi fit rei, quàm in periculo; imò lubrico verfetur.

VII. Prima figna, de quibus conqueritur infelix æger, funt languor et laffitudo ; quibus, pòft paulò, fuperveniunt tufficula, fpirandi difficultas, fputum copiofum fed facile. His plerumque accedunt vertigo, gravedo, vetèrnus, caloris deinceps et frigoris fenfus. Interea, leniffima tantummodo febricula eft, et adeo obfcura, ut morbus *catarrhum* permultùm fimulet.

VIII. Haud

VIII. Haud longo pòst tempore, æger difficiliùs spirat ; graviùs languescit lassescitque ; et in pectore ægrimoniam habet. Ei autem nullus etiamnum dolor est ; vel, si fit, obtusus adeo, ut de eo vixdum conqueratur. Arteriarum pulsus etiamnum mollis est, necdum multo, quàm solet, frequentior ; sed aliquantò imbecillior. Lingua subalbida est, et humida : fitis nulla, vel modica : cutis temperatè calida.

IX, Progrediente morbo, omnia paulatim ingravescent. Tussis frequentior evadit atque gravior, et nonnunquam vomitum movet : vertigo capitisque dolor tussi multùm ingravescent : sputum parcius fit ; dum in *bronchia* plus, ut videtur, liquoris effunditur : augetur anxietas : spiritus multo difficilior evadit, et tandem strepens : vultus livescit.

X. Morbo

X. Morbo increfcente, facies magis et ungueſ livent : frigeſcunt extrema : arteriæ crebriùs moventur et inæqualiùs : veterneſ increſcit in ſoporem.

XI. Neque hìc conſiſtit morbus. Sopore manente et increſcente, ſenſus hebetatoſ parùm movent reſ extrinſecùs objectæ : æger languet ; ab omni motu abhorret : extremum ubique corpus frigido ſudore perfunditur : anima ægerrimè reciprocatur : tandemque æger extuſſiendi impotens, et liquore effuſo pulmones opplente exanimatus, ſubitò extinguitur.

XII. Licèt hoc ferè (vi.—xi.) ordine procedant ſigna hujus morbi, quoties malum eventum habiturus fit ; tamen interdum non ſolùm gradu, ſed ordine etiam, multùm variari, nobis conſitendum eſt.

XIII. Teſte

XIII. Teste SYDENHAMO, æger infelix, cui cum hoc morbo colluctari contigit, gravioribus interdum malis, quàm quæ enarravimus, affligitur; frequentissimo, nimirum, vomitu, atque atrocissimo capitis, simulque haud modico pectoris, dolore. Sed, historiis a SYDENHAMO traditis, et iis, quas literis itidem prodiderunt recentiores auctores, BOERHAVIUS, scilicet, MORGAGNUS, HUXHAMUS, CULLENUS, et prælegit RUTHERFORDIUS, præclari jure omnes, deditâ operâ perlectis, et inter se comparatis; inclinatus animus, ut credam, *nothas peripneumonias*, quas videndi oblata SYDENHAMO est occasio, vel suapte naturâ graviores fuisse multo, quàm nunc sunt, vel cum aliis morbis, qui earum vim intenderunt, confociatas.

CADAVERA INSPECTA.

XIV. PATEFACTO post mortem thorace, *pleura* pulmonum ei costarum persæpe accrescit. Talis autem accretio, quæ minimè constans est, prægressâ potiùs, quam recente inflammatione, videtur effecta. Pulmones, admisso in thoracem aëre, non, ut solent, prorsus collabuntur. *Bronchia*, incisione facta, mucò tenace, albido, et spumoso opplen-
tur. Pulmones aliquantùm flaccidi sunt; et eorum cellulæ mucì aliquid, cum effuso fero commixtum, continent. Solito adeo graviores sunt, ut in aquam injecti, partim fundum petant. Surculi vasorum, quibus per eos sanguis fluit, sunt solito ampliores, et subnigro, qualem venæ solent continere, sanguine oppleti. Cordis ventriculi, potissimùm dexter, concolore sanguine distenduntur; qui

qui aëre intromisso vix, vel ne vix quidem, concrefcit.

DIAGNOSIS.

XV. *Peripneumoniam notham* aliis morbis quibus cum eâ intercedit fimilitudo, accuratè dignofcere, fummi profectò momenti eft. Si enim in morbi naturâ erratur, etiam errabitur in curatione; et, ob errationem alterius, culpamve potiùs, periculo verfabitur, imò fæpe vitâ fubitò plectetur, miferandus æger.

XVI. *Peripneumonia vera et notha*—tot inter fe communia habent, ut genere convenire, et gradu differre, plerumque exiftimatae fint. Utrafque caufis remotis planè iifdem effici, profectò confitendum eft. Signis verò multùm differunt; et diverfa omnino, ut periculo compertum eft, curantur ratione.

XVII.—1. *Vera* juvenes ætateve medios, potissimum sanos et robustos, ex improvise et acriter invadit. Aliqua thoracis pars, imprimis cum pulmones adductum extrinsecus spiritum intrinsecus reddunt, graviter dolet. Percussus arteriarum durus est et validus. Febris, demum, ardens et acuta est.

2. *Notha*, contra, ætate provectis, potissimum pituitosis, leniter sensimque obrepit. Corpus vix, plerumque ne vix quidem, incalescit. Arteriæ imbecilliter, exiliter, et inæqualiter micant. Æger lenissimè febrit: ægrescit potius, quàm dolet: et, primulo morbo, languore, vertigine, veterno, et spirandi difficultate, afficitur.

XVIII. *Catarrbus* — quoque, ut supra (VII.) diximus, aliquid sibi cum *peripneumonia notha* commune habet; et certiores nos facit CULLENUS, *catarrbum* pestiferum, hoc morbo simulato,

simulato, sæpenumero fenes, de improvifo, extinguere. Nihilo verò minùs diverfi, inter fe, hi morbi videntur.

XIX. *Catarrho* potiffimùm afficitur mucosa narium, faucium, et asperæ arteriæ membrana. Febris evidentior et acutior est. Difficultas spirandi, veternus, anxietas, et ægritudo vel prorsùs nulla sunt; vel saltem multo leviora, quàm, dum adest *notha peripneumonia*, solent esse. His itaque cognitis, memoriâque retentis, hos morbos satis internoscere, minimè arduum erit.

XX. *Pleurodyne*,— porrò, quædam, cum *notha peripneumonia*, esse communia dicuntur. Cognitis verò præcipuis illius signis, utra duarum adsit, animo incerti esse vix possumus.

XXI. *Pleu.*

XXI. *Pleurodyne* urgente, dolor, ex contractione musculorum inter costas dum inspiramus, acutus est. Interdum pars externa leviter rubet, et, digitis admotis, dolet. Sed tussis nulla, vel lenissima est; nullus coarctati thoracis sensus; anxietas, denique, circa præcordia, nulla.

XXII. *Anginæ pectoris*,—cum *notha peripneumonia*, intercedit nulla ferè similitudo. Dolor enim acer de transverso thoracis, motione instanter concitatus, et quiete cedens, hac illam satis distinguit.

XXIII. *Hepatitis* — nunquam, nisi turpi ignorantia, aut incuria vituperanda, pro *notha peripneumonia*, ab aliquo haberi potest.

PROGNOSIS.

XXIV. QUUM hic morbus semper periculosus fit, et sæpe fatalis; oportet medicum cavere, ne de ejus eventu quid inconsultè et temerè prædicat.

XXV. 1. Si æger sit senio confectus; si diu distillationibus opportunus fuerit; et si morbis quibuslibet fuerit multùm jam debilitatus; tum mors pertimescenda erit.

2. In lubrico versatur is quoque, quem huic morbo pronum reddiderint intemperantia, incontinentia, et ebriositas. Morbosum enim senem his vitiis turpiter infirmatum, imò et corruptum, morbo quovis pulmonum eripi, et ad sanitatem perducì posse, vix expectandum

pectandum est, vix optandum. Si quando igitur talis homo difficillimè spiret ; de gravi, circa præcordia, anxietate conqueratur ; et nihil ferè omnino extuffiat ; ei, in propinquo, est mors.

3. Dèplorandus plerumque est æger, cujus arteriæ celerrimè, imbecilliter, et inæqualiter moventur ; qui voce gravi loquitur, adeoque submissâ, ut, quid dicat, exaudire nequeamus ; cui facies livescit, atque summa cutis et extrema membra frigescent.

XXVI. I. Quòd si æger, nondum multùm debilitatus, mucosi quid facilè et expeditè excreeet et extuffiat ; si nec insignis dyspnœa, nec anxietas, adhuc urgeat, necdum inepta curatio graviozem morbum reddiderit ; tum minus, profectò, mali timendum est.

2. Sed

2. Sed ne etiam hæc (xxvi. 1.) signa medicum, adstantesve amicos, ad spem temerè erigant. Interdum enim, animo, præstimulata morbi lenitate, spe elato, mors, quasi ex insidiis, exilit; et inopinantem væ! ægrum dictis ferè citiùs interimit.

3. Cùm ita (xxvi. 2.) fit, nihil, quatenus scimus, est, quod certâ læti eventûs spe animum queat implere, nisi remissio morbi post apta medicamenta adhibita.

C A U S Æ

XXVII. *Prædisponentes.* — Quæcunque debilitate vasa secernentia asperæ arteriæ et bronchiorum afficiunt, ea proclives ad hunc morbum homines reddere videntur. Quapropter,

propter, hoc potissimum implicantur ætate jam graves; præ cæteris autem, pituitosi, et ii, qui distillationibus diu fuerunt obnoxii, aut perpotationi dediti. In hujusmodi enim homines, quàm in contrarios, causæ, qualescunque sint, excitantes multo magis pol-
lent.

XXVIII. *Excitantes.*—Morbum, de quo disputatur, iis potissimum anni tempestatibus accidere, ubi, brevibus temporibus intercedentibus, calor et frigus vices alternant, suprà (III.) memoravimus. An, frigore non admoto, unquam, necne, accidat; et, utrùm aliâ, necne, cœli mutatione, præter eam temperiei, queat effici; nihil certò cognitum affirmare possumus.

XXIX. Hoc tantum certò scimus, frigus, imprimis si simul auxilietur humor, plurimum, ad *notam peripneumoniam* concitan-
dum,

dum, pollere. Quo modo tantum possit, nullum vero consentaneum novimus; præterquam quòd, exhalatione cutis minutâ aut suppressâ, committat, ut in pulmones derive- tur plus solito sanguinis, idèoque ex his plus solito humoris excernatur. Vero hoc congruere, eò constat; quòd, ut inter omnes convenit, talis cutis et pulmonum excretio- nis ratio est, ut, quantum una minuitur, tan- tum augeatur altera.

RATIO SIGNORUM.

XXX. *Cumulatus sanguis*,— qui in pulmo- num vasis, post mortem, conspicitur, et qui, dum vivitur, hæc usque eò distendit, ut vel, ruptis exiguis furculis, in *bronchia* effunda- tur, vel, referatis arteriis exhalantibus, in ea- dem effluat, laxitati fecernentium *bronchiorum*

vaforum, quæ omnium ferè senum, qui pituitâ abundant, aliquatenus communis est, attribui debet.

XXXI. *Muci effusio.*—Haud multò post accessionem hujus morbi, muci aliquid in *bronchia* et cellulas effunditur; partim, ob laxitatem arteriarum exhalantium; partim, ob sanguinem, in mucosam *bronchiorum* et asperæ arteriæ membranam, suppresso cutis halitu copiosius solito derivatum.

XXXII. *Faciei et unguium livor, et subniger sanguinis ipsius color,*—mucò in *bronchia* (xxxI.) effuso efficitur. His enim cellulis mucò, aliqua ex parte, impletis, aër extrinsecus in pulmones solito parcius adducitur; neque, præ eodem mucò intercedente, adductus quidem aër vasis sanguinem vehentibus ipsis, ut naturaliter solet, admovetur. Aëre sic deficiente, et, quò minùs ipsa hæc
vafa

vafa contingat, impedito, fanguis ex aëre neque, ut debet, pabulum, quo alatur sacra vitæ flamma, adipiscitur, neque ex subnigro in rubicundum mutatur colorem. Hinc subniger sanguinis color ; hinc faciei, hinc unguium livor.

XXXIII. *Anxietatem*, — fanguine non, dum per pulmones tranfit, ritè falutariterque mutato effici, eò fatis conftat ; quòd, expiratione paulisper dilatâ, mira hujusmodi inquietudine illico fic afficimur, ut animam feftinatò reciprocemus.—Quantâ curâ, folertiâ quantâ, utilitati noftræ et commodo providet et profpicit alma Natura ! Ut enim fame et fiti allicimur ad cibum et potum, quibus nutriantur noftra corpora, ne paulatim pereant ; fic anxietate impellimur animam reciprocare, ne incuriâ noftrâ, turpive voluntate, ipfa vita fubitò extingatur.

XXXIV. *Ponderis in pectore sensum*—efficere videtur liquor, in thoracem, sub finem morbi, effusus, et pulmonum dilatationi renitens. Hanc ob effusionem, æger, haud secus ac *hydrothorace* affectus, se melius habet erectus, quàm recumbens. Erecto etenim corpore, ideoque contento liquore imum thoracem petente, minùs aliquanto comprimuntur pulmones; et sic motu per hos expeditiore fluens sanguis, aëre extrinsecus adducto salubriùs novatur.

XXXV. *Spirandi difficultas*,—qua morbus, ad quem disputamus, semper insignitur, partim de muco in *bronchia* (xxxI.) excreto, partim de liquore in thoracem (xxxIV.) effuso pendere videtur. Quo enim plus mucii in *bronchia* excernitur, et quo plus in thoracem effunditur liquoris; eo minus aëris intromittunt pulmones, ideoque eo minùs in his novatur sanguis: et, qua ratione sanguis
justo

justo minùs novatur, ut eâdem solito festina-
tiùs animam aut reciprocet æger, aut brevi
extinguatur, prorsùs necesse est.

XXXVI. *Cutis et extremorum frigus*,—
quod, finem versus morbi, supervenit, et ma-
li plerumque ominis est, iisdem planè causis,
quibus spirandi (xxxv.) difficultas, efficitur.
Aëre enim, has ob causas, in pulmonibus
parùm abundante, sanguis non modò non
intrinsecùs satis repudiat *carbonium* et *hydro-*
genium, quorum nimietatè inquinatur, sed ne
quidem ad se extrinsecùs satis allicit *calori-*
cum, seu pabulum, quocunque appelletur no-
mine, ex quo tantum caloris, quantum suffi-
ciat ad sensiferam corpōris temperiem susti-
nendum, evolvatur.

XXXVII. *Languor, lassitudo, veternus* et
gravedo,—de quibus semper conqueruntur
hoc morbo affecti, enascuntur ex hebetato
cerebri

cerebri nervorumque sensu ; qui ipse pendet de insolita cordis arteriarumque debilitate, quam sanguis, per pulmones transeundo non satis mutatus, efficit.

XXXVIII. Cæteris hujus disputationis partibus ordinatè, pro nostra facultate, absolutis, nunc oportet, de utilissima, curatione nimirum, quàm paucissimis dicamus.

C U R A T I O.

XXXIX. I. COLLATIS iis, de quibus, progrediente *peripneumoniâ nothâ*, æger conqueritur, cum iis, quæ, post mortem, patefacienti thoracem *anatomico* se, in conspectum, offerunt, magna illi similitudo esse cum *asphyxia* submerforum videtur. Pleraque enim illius signa, ex eadem, qua hujus, causa enascuntur,

cuntur, licèt, præ comparata ejusdem exiguitate, diutius protrahantur.

2. Cognitis iis, quæ de signis et causis *peripneumonix nothæ* suprâ (VI.—XIII. et XXVII.—XXIX.) diximus, gravi hōc morbo ægri videntur effuso, præter solitum, liquore *bronchia* opplente mori; qui, spiritum intercludendo, et sic, quò minùs in pulmonibus sanguis accepto aëre ritè novetur, obstando, eos suffocat.

XL. Medicum igitur, cui curæ fit aliquis hoc morbo implicitus, oportet,

Primo, opportunè efficere, ut e *bronchiis* æger effusum liquorem expectoret; et,

Secundo, eam pulmonum arteriarum laxitatem sanare, quæ committit, ut effundatur hic liquor.

CONSILIUM PRIMUM.

XLI. *Expectorantia*.—Hoc consilio, ad medicamenta, ex iis quæ expectorare faciunt, primo quoque tempore, confugiendum est. Hujus autem generis anteferenda sunt ea, quæ stimulant; cùm præsertim, ea, quæ fauces tantummodo illinunt, parùm, hunc in finem, valeant. Profectò, ex innumeris ferè medicamentis hujus generis, tria omnino sunt, quæ insigni expectorare faciendi vi pollent, *gummis* nimirum *ammoniaca*, *squilla*, et *ammonia*.

XLII. Quo modo agant hæc (XLI.) medicamenta, exponere difficile est. Olim opinati sunt medici, sanguinem attenuare, et dilutiorem reddere. Hæc verò opinio, utpote conjecturalis,

conjecturalis, nunc ferè exolevit. Modo quidem, quo vasa fecernentia afficiunt, ipsa secreta quadantenus fortasse mutant; potissimum autem, ut nobis videtur, proficiunt sputum ex pectore movendo.

XLIII. *Gummis ammoniaca* sub variis formis, insigniter ad sputum ex pectore movendum pollere, diu existimata est. PRINGELIUS, diutinâ experientiâ, et constante rerum observatione nulli ferè medicorum secundus, eam multis laudibus profecutus est; et profectò vis, qua pollet, corpus calefaciendi, peculiariter ferme, contra *notham peripneumoniam*, efficax videtur. *Spiritu salino aromatico* soluta, ventriculo haudquaquam aliena est.

XLIV. Complura ex *squillis* præparata, sæpe non minùs profunt, quàm *gummis ammoniaca*. Pilulæ scilliticæ, quippe quibus

hujus gummis aliquid infit, conjunctas utriusque virtutes aliquatenus habere putatae sunt. Liquida quoque ex squillis, quae, profecto, nonnulli medici pilulis anteponunt, multum proficiunt.

XLV. *Ammonia* verò aliis omnibus hujus (XLI.) generis medicamentis palmam praeripuit. Magna enim vis, qua totum brevi corpus permanat et stimulat, licet minimè ad eas inflammationes reprimendas accommodata sit, quibus totius corporis arteriae solito enixius moventur, tamen, contra *peripneumoniā notham*, efficacissima est; propterea quòd amissum glandulis mucosis vigorem restituit, et sic earum secretionem, cujus nimietate, complura ejus signa, aliqua ex parte, efficiuntur, insigniter minuit.

XLVI. Simul atque uno ex his medicamentis, aliove, aliquantum remiserit morbus,

his

his aliquid *tincturæ opii* adjicere; utilissimum erit; et profectò, siquando, a primo usque morbo, frequens tussis ægrum quasset, opii pauxillum subinde, ab initio usque ad finem, utilissimè assumatur. Hoc etenim adhibito, non solùm sedatur tussis; sed quassatus et defessus æger, intercapedine molestiæ fruitus, faciliùs postea et copiosiùs mucum expectorant.

XLVII. *Vomitoria*—quoque multùm, contra morbum, de quo differitur, posse, convenit omnes inter auctores, qui de hoc aliquid literis tradiderunt. Hujus generis *vinum ipecacuanæ*, vel squillæ cæteris anteferendæ sunt. Hæc, primulo morbo, assumpta, permultùm ægro proficiunt, non solùm ex pectore sputum movendo, sed etiam sanguinem sic evocando ad extremum corpus, ut cutis exhalatio redintegretur.

XLVIII. *Exulceratoria*, — porro, quippe cum efficiant, ut æger sputum copiosius et facilius edat, nunquam omittenda sunt ab iis, qui hoc morbo conflictantur. Nonnulli præcipiunt, ut extremis superimponantur: verum, ut nunc experiëntiâ constat, multo plùs, contra morbum, valent superimposita sterno. Hæc cæteris omnibus medicamentis eo antecellunt, quòd, absque detrimento, quolibet morbi tempore, et quoties res postulent, admoveantur.

XLIX. *Aëres*, necnon, *factitii*, — qui nuperrimè medicorum animos tantopere occupârunt, et etiamnum meritò occupant, fortasse optandum hujus morbi remedium olim suppeditabunt. Cognitis quidem iis, quæ *pneumatica chymia* nuperrimè patefecit, sanguini vitalem aëris partem, quam *gas oxygenium*, ipforum linguâ, *chymici* nunc appellant, arte suppeditare, aliqua ex parte, possumus;
committendo,

committendo, nimirum, ut, aptæ machinæ ope, æger vitalem aëra merum, vel communem saltem ipso hoc redundantem, in pulmones inhalet. Verùm, utrùm hoc profecerit, necne, futuris periculis comperiendum erit.

L. *De sanguinis missione*,—ex industria, nihilum diximus. Quamvis enim auctores ferme omnes, ut eliciatur sanguis, præcipiant: tamen, cùm animadvertamus, quàm ætate gravis plerumque æger fit, quàm imbecillus cordis arteriarumque percussus, quàm debile, totum per morbum, corpus; profectò non possumus, quin, laboranti sanguinis detractionem insigniter nocere, prorsùs opinemur.

LI. Nisi ita (L.) re ipsa fit, quare medici, qui, ut sanguinem mittant alii, tantopere suadent, ipsi, quid ex nimio missò fit timendum detrimenti, tam fusè præmonent? Ne animi deliquium

deliquium accidat, præcipit SYDENHAMUS, ut ex ægro recumbente sanguis mittatur. HUXAMUS præmonet, sanguinem haudquam iterum detrahendum esse, dum, conditione sanguinis, arteriarum pulsu, et viribus ægri bene exploratis et cognitis, comperiamus, equid ex eo detracto commodi expectandum sit. Quinetiam, ut ab annalibus medicinæ accipimus, interdum accidit, ut *peripneumoniâ nothâ* ægri, pauxillo sanguinis amisso, extremum halitum ferè subito efflarent.

LII. RUTHERFORDIUS studiosæ medicinæ juventuti, ne ex ægris hoc morbo quid sanguinis omnino mitterent, interdicare primus, quoad scimus, ausus est. Conspicatus, quantum semper noceret sanguinis detractio, etiam cùm a præclaris medicis præciperetur, constituit, simul ac medicinæ se immisceret, eam, utpote periculofam, prorsùs omittere. Prosperrimus curationis, quam supposuit, eventus, meliùs profectò

perfectò omnibus argumentis ostendit, quàm rectè, ex perspectâ morbi et intellectâ naturâ, curationem judicaret.

LIII. Abolutâ unâ bipartitæ curationis parte, tantùm nobis restat, ut, alteram quàm paucissimis persecuti, rem nostram ad exitum perducamus.

CONSILIUM SECUNDUM.

LIV. Hoc quoque consilio, adhibenda sunt medicamenta, quæ jam (XLI.—XLVIII.) memoravimus; cùm præsertim, efficaciora, quibus sanetur ea fecernentium vasorum laxitas, unde accidat effusio, nulla noverimus.

LV. Erit autem, insuper, necessarium, in auxilium, contra insignem debilitatem, quæ, a primo morbo, usque ad extremum, adest,
aptum

aptum regimen vocare ; necnon medicamenta, ex iis quæ debilitato corpori firmitatem et robur restitunt.

LVI. *Calor.*—Ab initio morbi usque, æger debet se continere in cubiculo, cujus calor eum non excedat, quem quinquagesimus quintus *thermometri Fabrenhietiani* gradus, aut, ad maximum, sexagesimus ejusdem quintus, indicat. Stragulis etiam levibus operiri debet totum corpus ; præter pedes, quorum interea calor insuper fovendus est calidis admotis, ut in eos sanguis expeditè fluat.

LVII. *Diæta*—constare debet ex iis, quæ, dum nutriunt satis, ventriculo apta sunt, et facilè concoquuntur. Plurimi auctores, naturâ morbi malè intellectâ, perperam præcipiunt, ut diætâ tenui vivatur ab iis, qui hoc morbo confligentur ; sed experientiâ et observatione meliora nunc monemur.

LVIII.

LVIII. Vinum, aliaque quæ gratè stimulant, parcîus uberiùsve assumenda sunt, pro debilitatis gradu, et pro præterita vivendi ratione.

LIX. *Alvus*,—si adstricta, solvenda est medicamentis laxantibus lenissimis. Ea autem, quæ alvum acriter movent, vitanda sunt; quippe cùm, corpus debilitando, morbum insigniter augeant.

LX. *Medicamenta*—simul roborantia, post profligatum morbum primarium, qua opus sit quantitate, assumenda sunt. Ad hoc genus pertinent *cinchona*; *amara*; *aromatica*; *præparata e ferro*; *acida fossilia*; aliaque, quòd ad effectus, his consimilia.

LXI. Simul atque, post morbi decessionem, æger foràs prodit, se a causis excitantibus, imprimis frigore, quàm potest maximè

munire debet. Hunc in finem, indusium laneum sibi proximum habere, et simul calida vestimenta superimposita, oportet.

LXII. *Exercitatio.*—Hoc morbo ægri, sese exercere neque possunt, neque debent. Etiam, postquam decesserit morbus, nulla, nisi levissima, convalescentibus convenit exercitatio. Ambulatiuncula quidem ipsa, qua profectò nulla lenior, facilior nulla et magis naturalis, quàm cautissimè adhibenda est. In convalescentibus enim e malis, in quibus pulmones laborant, aut spiritus, quacunque de causa, impeditur, aut vires multùm labefactantur, per ambulationem, imò per ambulatiunculam, plus brevi sanguinis in pulmones impellitur, quàm hi transmittere queant: unde gravis citò subsequitur anhelatio, gravis palpitationis.

LXIII. Gestatio autem, potissimum equitatio, sub puro, sicco, et temperato jove, convalescentibus ex hoc morbo plerumque conveniet. In ea enim requiritur actio musculorum generalis quidem, sed adeo levis, ut etiam valde infirmis, iisque, qui planè ambulare non possunt, tolerabilis et grata, et valde salutaris fiat.

F I N I S.



